

VINCENTIUM GRUNERUM, CYGNEUM,
THEOL. LIPSIENSEM,
866.

QK.245

30.

THEOL. LIPSIENSEM,

Zb
4538

VIRO

REVERENDO ET AMPLISSIMO

M. GODOFREDO THYM, Cygnéo,

THEOLOGO ET PHILOLOGO CLARO, AD D. MAR.
IN PATRIA ECCLESIASTÆ OPTUME
MERITO,

SOCERO ET PATRI IN CHRISTO ÆTATEM
DEVENERANDO,

Cum

Jodas
GNATUM UNICUM ET CLARE-DOCTUM

GODOFREDUM OBADIAM THYM, Cygnéum,

S. THEOL. CANDIDATUM

IPSA SECULARI ACAD. LIPS. FESTIVITATE
d. IV. Dec. A. O. R. M.DCCIX. subortá,

SUMMIS PHILOSOPHIÆ HONORIBUS
AUCTUM VIDERET,

SISTIT ET INITIA ACAD. DELINEAT
GRATULATUS

M. CASPAR TEUCHLER, Cygnéus Hohenlohensum Pastor.

MARTISBURGI,

Literis CHRISTIANI GOTTSCHICKII.

Lipsia grata PoLo est , refonante MaCaV-
DIt eò Ipsò :
Lipsia CLara tVIsoMnia grata Dabo !





I. N. J.

VIR AMPLISSIME,
REVERENDE IN CHRISTO PATER ET SOKER]
ÆTATEM DEVENERANDE &c.

Nix unquam præstantis Filii, quem, propinquo
æque atque amico vinculo adstrictus, since-
ro complector amore, jucunda succurrit
memoria, quo non ter sanctum cœli mode-
ratorem calidissima vi precum venerer atque obtester, ut
Eundem in scitam spem suauis Patriæ & pientissimi Pa-
rentis natum, riteque currentem, ad metam stadio præfi-
xam pertingere cœlitus annuat. Istud hactenus eò magis
abs me fieri consuevit, dum novo Lipsiæ honore auctus
solidum impensè gaudet gaudium, cuius partem Patria,
partem Parentes, partem alma Philyrea, in Natalibus suis
qvartum tripudians, auxiliatrici & felici manu sibi vindica-
runt. Hos etenim omnes una exorrectis lœtari frontibus
persuadeor. Parentes in filiis reviviscunt, ipsaq; Patria
coronatur, si eisdem cives honorum coronâ cingi legit
aut videt : Mentium Officinæ quidni gestiant Bonis? si
surculos sub divinæ benedictionis incremento plantatos,
rigatos, & liberaliter eductos eluctari atque altius adscen-

A 2 dere

dere animadvertisunt. Hinc plena suffuso voluptate communi gaudio interesse liceat. Liceat, qui ovando Tui cordis penetralia intueor erecta, qui Natum Tibi similem fore divino, & ubique vestigia ornata legentem attendo. Eadem mente Ambos Cygneos votiva acclamazione excipere, Cyneo quis vitio dabit? Plures nobilitarunt olim Cygnensium Urbem, communem Patriam, quam origine patris, ibi nati, terram haud absone dixeris. (a) Illustrarunt splendore, quo fulgebant nominis, eandem viri & ordine & literarum cultura incliti, quos in unaquaque facultate clarissimos extitisse constat. Silens praeter Catalogum, quem Chronicus Auctor B. Schmidius texuit; Exeo Georg. Holoander, Erasmus Stella, Paulus Langius (Citicensis Chronicus Autor) Pollicarii s. Daumii, & alii satis noti sunt, qui superiori aetate Cygnea Urbe nati, lucida doctrinarum culmina & lumina inclaruerent. (b) Hos inter non medioximo certe, nec ultimo memorandus venit loco **VINCENTIUS GRUNERUS**, qui patria Cygnenus, studiis vero Lipsiensis, vergente Seculo XIII. clarum circumtulit nomen & in praedicto Chronicorum cum aliis omnino restituendus restat. Praeter ceteros enim dignus est censendus, cuius vitae sors & memoria ubiq; & in Festo Lipsiensium Academiae quoq; Natali eruta, summa, qua pars est, laude evehatur. Nam ex benigno in Patriam Misericordiam amore ansam almæ matris Lipsiensi dedit plaudendi, quæ ab ea aetate in sua persistit celebritate, & filios sine numero felici partu produxit atq; enixa est. Tibi, Reverende in Christo Pater, memoriam hanc

(a) v. *Præsibium de Charitate Parvorum*. (b) vid. *Chron. Schmidii*, p. I. p. 480. 481. 483.

hanc jam redidivam, merito paucis perscribendam duco.
 Non cō, ac si rei TE ignarum sciam, sed qvia ab Acad. in
 filio egregiē docto compensatum cognosco, quod olim
GRUNERUS concivibus suis magnis meritis consecutus est;
 & mihi Viros in Scholæ & Eccles. palæstrâ excellentes à
 Summis Viris, Pipingio, Götzio, Feustelio, Serpilio, Ludo-
 vico ornatos & ultimis cineribus in usum rei literariæ su-
 scitatos legisse usq; volupe fuit. Patriam ergo adeptus
 est Grunerus Cygnéam s. Zwickaviam, qvam olim
Schwanefeld/vel à Cygnis in illius undis acquiescentibus,
 vel à factâ præter voluntatem Imperatoris Henrici Aucu-
 pis, extruentis decurratione ita appellari licet credere. d.)
 Natus ibi credendus est Parentibus honestate conspicuis;
 sacris baptismalibus initiat⁹, instructusq; in Christianæ re-
 ligionis ritibus à Clero, tum seducente, prout temporum
 injuria erat. Musis consecratus, ingenio, qvo pollebat,
 ita profecit, ut Parentes ē Schola, quam Amplissimus Sena-
 tus aluit, eum in Acad. Pragensem ablegantes talem fore
 sperarint, qvalem judicarunt cognitum. Tam arcto hīc
 carcere virtus contineri vix poterat, quin latius erumperet.
 Hinc, Magisterii & Baccalaurei Theologiæ dignita-
 te, qvā cō tempore vix major in literis honos comparebat,
 ornatus, pleno gradu ad altiora tendere cœpit & alios do-
 cuit, qvod prius didicerat. Majori autem nominis fama
 hac ratione illustratus est: Amplum tum nomen Joh.
 Hussi, Bohemi, Professoris & Curionis Pragensis vigebat,
 qui ao. 1415. d. 5. Julii ob fidem concrematus & post plu-
 res confessores Martyrum coronā insignitus est. Is Regi

A 3

fidelis

d) vid. Chron. Schmidii p. I, p. 8.

fidelis & Pontificum molitionibus adversus, Nationi Bohemorum & Patriæ omni opere studebat. Longe ab eo dissentiebant Germani, quos ab ipsa fundatione in Nationes Bavanicam, Saxoniam & Polonicam dispesci receptæ consuetudinis erat. Diversè sentiebant, non ut quidam ivere assertum, ob dogma exortum, e) sed quia tria suffragia à Carolo IV. in Creatione Rectoris flagitata, minus felici exitu sperata fuerant. Utrinq; acriter & vario marte ea de re disceptatum est. Ortæ sunt rixæ, has secuta sunt verbera, rapinæ, cædes, ut cadavera noctu in Amnem Moldam dejecta impunè natarent (f.) Turbatà ita tranquillitate publicâ, qvam bonæ literæ omnino sibi depescunt; solum mutandi publica Magistris necessitas imponebatur. Consilium igitur inivere oestro invidiæ percitam Bohemiam relinquenti, quia toties injustis petitionibus delusi fuerant. Maturarunt illud atq; inter se confirmarunt, ut Joh. Huss in Rectorem postmodum Pragensem electus & mox in Concilio Constantiensi accusatus dicat, qvod jurejurando se invicem obstrinxerint poenam sibi transgressoribus de honestatae famæ, violatæ fidei, & 300. sexagenas grossorum pendendi superaddentes: (g.)

Agmī-

e) vid. B. & CL. Tenzelii Biblioth. Curios. 1704. Reposit. I. p. 349.

f) vid. Peiferi Lips. Edit. Magistr. Dn. Rechenb. 1-100. p.m 301 &c.

(g) vid. Hist. Joh. Huss in Concilio, accusati editam 1529. sub Lit. F.

Nempe Es war eine der fürnehmsten Klagen mit an gedachten Concilio, daß Joh. Hus die Ursach solte gewesen seyn, warum die Deutschen Magistri ausgetrieben, daß er mancherley Irrthum geprediget, aus welchen Alergerniss entsprungen, zwischen denen Prälaten, dem Volke im Königreich, auch denen Magistern und Studenten zu Prague dar aus sey ein Ungehorsam gegen ihre Ober-Herrn kommen,

Agminis hujus igitur literati Vincentius Grunerus, Zwickaviensis, Coryphaeus una cum Joh. Hoffmanno, Svidnicensi, Rectori, mox Antistite Misenensi, collaudatur, qvod, sveta sede anno 1408. relicta (h) Bohemorum, aëris salubritate & incolarum moribus elegantem Lipsiam pettit, ibiq; præ molestō commodiorem sibi locum elegit. Plurimum poterat edecumatæ eruditionis Vir & autoritate apud suos & ore facundo, quo Fridericum Bellicosum, Marchionem tum Misniæ, post Septemvirum potentem, permovebat. Svasor ille atq; ex orator præcipu⁹ Celsissimo erat Principi, ut una cum Illustr. fratre Wilhelmo II., cognomento Divite d. i. Aprilis a. 1425. Weidæ defuncto & Altenburgi tumulato, Musas has advenas & exules hospitio exciperet, in fidem receptas indulgentissima dote ditaret. (i.) Robur addidere Pontifices Max. Alex. V. & Johannes XXIII. literis, qvæ à priori d. 18. Decembr. scriptæ, publice prælectæ sunt. Valorem attulerunt Privilegia, quæ peculiari Diplomate Cæsareo per Rupertum Imperatorem sub dato Pisa d. 9. Sept. exhibita fuerunt. (k) Hanc fidem, quam Princeps poscebat, Grunerus libertatis Acad. Assertor, comite M. Joh. Ottone de Münsterberg primus dederat, ut solennis Inauguratio a. 1409. traditis Privilegiis

rite

Das Collegium und die Universität zu Prage zerstört wor-
den / ja da die 3. Nationen in Rectorat der Sachen Bewillig-
ung bey Wenzeslao erhalten / so habe er nebst Hieronymo
Pragensi den König ein anders beredet. Quæ tamen il-
læsâ Sancti Confessoris famâ scripta sunt, qui ibid. omnem
a se culpam fatis removet :)

(h) vid. Mülleri Annales. Sax. p. m. 5. (i) vid. Peiseri Lips. p. 302. & Weberi Canc.
(k) vid. Mülleri Annales p. 5.



ritè perageretur. Noluerunt Nutritores Munificentissimi officii sic præstigi immemores videri. Inde pignus ut aliquod constaret ejus rei publicum, omnem & Heroibus dignam intenderunt curam. Nostrum, qui in Theosophia & Scholasticæ Philos. campis versatissimus erat, primum Theol. Profes. Ordin. constituendum esse arbitratis sunt, (l) cum Münsterbergius Silesius ex Legibus Academiæ prima sceptræ teneret. Miram eum sapientioribus studiis attribuisse operam quis dubitat? Divinas æque atq; naturales doccebat artes, legendo, scribendo, disputando doctrinarum nodos exponebat, & maximam, quæ supererat, ætatis partem studiosè ac fideliter consumebat. Decani mox in Facultate Theol. munere fungens, uti Sabbatho ante Festum S Gregorii electus erat, quin imo sequenti anno 1410 magno omnium consensu Imperii Academicæ habendas capessens, id habuit curæ, ne Respublica literaria quid detrimenti caperet. Pertæf⁹ tandem publicæ, privatam et monasticam prætulit vitam, & pro pietate seculi in salutem animæ monasterium ingressus est. Placuit præ aliis Cœnobium veteris Cellæ, quod ad oppidum Rosvinum situm, S. Joh. Evangel. & B. Virgin. in honorem a. 1162. fundatum, & monumentis Principum clarum adhuc in ruderibus eminet. Ita commoda vocatione à Martino de Lochau, Abate, magno Studiorum amico, transmissa, Spartam inter XIII. alias Lectoris suscepit, & meliores scientias, quantum potuit, LXXX fraatribus instillavit, canos in iisdem attingens annos. Hos implevit, & satur demum vitæ ultimum valedixit orbi, exosfatumque spiritum cœlo reddidit.

(l) vid. Prætorii Histor. Sax. Specimen, Lips. 1694.



dit, attriti corporis exuvias cœnobii Sacello relinquens inferendas. Virtus & fama post cineres mori vetant eum. Harum fragrantissimum odorem juste quis negat? Fervide Theologiam excoluerat, eamque præ cæteris partem de Missâ scriptis exponebat, quæ cor atque medulla cultus pontificij dici meretur. (m) Ipse Orator disertus Rhetorices præcepta suis proponebat. (n) Philosophus erat acutus, quod fœtus ingenii, Grammaticam, Logicam, Physicam & Astronomiam enucleans, legenti satis demonstrat. (o) Hinc calculumiis addere fas est, qui eum in Scripturis sacris & humanioribus literis doctissimum laudarunt. Vincentium autem Zwiccaviensem fuisse luce meridiana clarus ei patet, cui patentes Historiarum reiq; literariæ amœnitates vel levi oculo perlustrandi lubido animum incessit. Testes adsunt plurimi & probati, qui nudæ veritati subscribere haud abnuunt. In multis Joh. Thitemium, Abbatem Herbipolensem, in medium produxisse liceat. Solerterem Antiquitatum hunc indagatorem fuisse quis nescit? Ita autem fidem alias indubiam firmorem reddere satagit: (p) Vincentius Gruner de Zwiccavia, Doctor Pragensis & fundator Gymnasii Lipsiensis, Vir in diuinis Scripturis eruditus & in Philosophia seculari egregie doctus, ingenio subtilis & clarus eloquio; edit non speriendæ lectionis opuscula, quibus nomen suum ad notitiam posteritatis cum gloria transmisit. Verè eundem tulisse judicium, nemo inficias ibit, qui limato prædictus sensu callebat, quantum æra lupinis distent. Quid multa? suffragatur & ipsum Album Lipsiacum, in quo Reotorum æq; ac Studiosorum nomina prostant legenda. Ibi satis, evincentे B. Fellerō Pöeta summis imisq; charo, Vin-

B cen-

(m) vid. Catalogum Codicum Mitorum Biblioth. Paul. p. 180.

(n) ibid. p. 324.

(o) ibid. p. 360. (p) vid. Catal. Illustrium Virorum. p. 37.

centius Grunerus de Zvviicavia ad literam legitur & an, 1410. Rector Studii i. e. florentissimæ Studiosorum coronæ nuncupatur. Ad stipulantur his & aliis, & præcipue CL. Schlegelius (q) cum B. Tenzelio, quem præpropere humanis rebus eruptum bonæ literæ lugent. (r) Æqua proinde lance hæc expendens non parum sèpè in admirationem abripior, qui evenerit, ut Petrus Albinus, Icriptor gravissimus (s.) & ejus vestigiis insistens Joh. Fridericus, Hist. Prof. (t) aut aliquo errore abrepti, aut loci amore sufflaminati Vincentium Grunerum Lipsiensem fuisse contendant atq; defendant. Ad me quod attinet, non equidem Tritheimii in cæteris autoritatem aut artes ejus Magicas pugnare in me recipio, quem alias quoque literis Hieroglyphicis insignem fuisse constat. Meliori jure aliis discutiendum relinquo id, quod ingenii vires exuperat. Optimos Historicos, teste experientia, falli & ipsos quoque fallere posse, non ambiguum reor. Nolim autem de fide, quam in hanc rem tradere studuit, cuiquam vel leve dubium suboriatur. Namque res ubique est clara & extra omnis dubitationis aleam posita, si modo temporis & personarum collationem amiciorem instituere velimus: Cum expugnatâ sede Constantinopoli honestis literis acre bellum esset indictum, & fors fugiendi iniquior contigisset; accidebat, ut ex immensa DEi benignitate in Occidente splendescerent, quia Europæ incolis è somno inertis insciitiae

(q) v. Tract. de veteri Cella Dresd. in 4to num. 12.

(r) vid. l. c.

(s) vid. Albini Meissnische Land-Chronicka. C. XXV.

(t) vid. ejusdem Panegyricum secularem a. 1609. p. 22.

tiæ evigilandi animus aderat promptior. Efflorescebat Seculi cultus & per viros orbe claros augebatur. Multum momenti quoque Societas Literaria afferebat, quæ à Maxim. I. instituta, Ordinibus Imperii confirmata, Celtricæ nomen à Conrado Celte, [u] primo Poëtarum & ipsa Imperantis manu coronato, sortita legitur. (w) Illud Collegium libertate gaudebat publicâ, adeo, ut libros prodeuntes & dictæ Societatis Privilegiis stipatos, cœteris antelatos legas. Membra id agebant, ut artes è squalido errorum scirpo vindicarent Germanorumq; res gestas nitidè luci exponerent. Cuiquidem studio, haud impar visum est hodiernum Collegium Historicum Imperiali, quod sub Auspiciis Div. Imperatoris LEOPOLDI ab incomparabili Paulino, Medico Isenacensi inchoatum, debitâ laude nullatenus defraudandum est. Haud vulgare A. C. 1500. dictæ Societatis membrum & præcipiuus Collega Trithemius Abbas audit & celebratur Is undiq; Paulum Langium, Cygneum, & Monachum Boſnaniensem adhibuit. Hoc usus est adjutore & laborum socio. Hunc fidum studiorum comitem habuit & literis commendatitiis ad describenda & conquirenda Autographa fulcivit. Si paulo penitus perspicias, Langium Cygneum fuisse, si Historiarum Scrutatorem laborum eundem Trithemio socium judices, si nostro aliud non seculum fuisse perpendas, qui scrupulus vel minimus menti resideret superstes? Trithemius ergo vel ex se ipso, vel per Langium, optime scire potuit, qua Patriâ Grunerus ortus sit. Hæc enim omnino circa Acad. Lipsiensem & Pro-

B 2

fesso-

[u] v. David Chytrei Sachsen, Chronicka. L. I.

p. 227.

(w) vid. Teuzelii Menses a. 1693. p. 90.

fessorum vitas eandem instaurantium recentiori adhuc
memoriæ infixa hærebant. Pari modo perperam
Schneiderus, conditor Chron. Lips. Misniæ natum di-
xit, cum natione Misnicus tantum fuerit indeq; nomen
deportaverit. (x) Fulget igitur inter Orbis Li-
terati, qua divinas, qua humanas artes, sidera Cy-
gnus, & Zwiccaviæ ex merito ortum debet. Nec
ante orbe Cygneo eximendus est, quam ve-
ritas ipsa & liberales artes firmo perstare talō desie-
rint. Vivit famâ, nomine, & meritis; Nam Sallu-
stio affirmante, is demum vivere videtur, qui præ
clari facinoris, aut artis bonæ famam quærerit. Plu-
ra de Viro satis magno, & ad seculi exemplum claro,
accelerare superfedeo. Soli lucem scenerari usque su-
pervacaneūm prudentiores duxere, communique dixe-
re proverbio. Vita & facta ipsius ad oculum patent.
Quis negaverit eum urbi florentissimæ Charites has ad-
ducendo eximum Charitatis opus fecisse? Inseriendi
studium in hac sede artium Nobilissima amplianda oc-
cupatum erat, adeoque dignum, ut in posteris omni-
ratione hostimenta videat. Res albo signanda lapillo
est. Æneis insculpta tabulis ad seram, si divino nu-
tu qua fuerit, posteritatem proferenda est. Omni
laudum cumulo extollenda est. Digna est, quæ futu-
ro Chronicæ Schmidiani Continuatori inferenda detur.
Cordatus Viri ardor & favor omnino merentur, ut
alma Studiorum Matre Natalitia sua celebrante, me-
moria ipsius rediviva existat, & Cygnæis non minus,
quam aliis deprædicetur. Cura, quæ profuit, futu-
rum meretur præmium ab Urbe partim pulchra,
partim Academia inclyta, si honesti officio fungantur,
cuique bonorum largiter distribuendum. Non enim,
quod B. Buchnerus censet, mentibus nostris excidere

(x) v. p. 332.

de-



debet , à quo tot maximis beneficiis sumus affecti.
 Hanc virtutem μνησούμε atque χερίτ@ Europæ Empori-
 um celeberrimum observanter colit. Nam Musas
 Cygn. subinde afflictas fuscipit , alit , foveat atque
 promovet , ut & egeni , eō nutriende , ad scopum felicis
 pede tendant. Benigna excipit cunctos fronte omniisque
 bonorum cumulo onustos domum suis remittit. U-
 bertim Magnif. Ordo Patrum Academiæ reciproca
 iisdem pollicetur officia, atque præstat. Memor no-
 stra non minus , quam majorum ætate fuit, & Cygné-
 am prolem , informari , cupidam instruxit , quæque præ
 cœteris est promerita , ei débitos honores attribuit atque
 largitus est. Concives nostros legimus Confessur
 illorum excellenti , amplissimis Professorum muneri-
 bus traditis , addictos fuisse , qui doctorum non tan-
 tum , sed & eruditorum nomina jure obtinuerunt (y.)
 Rectores Acad. Patriâ Cygnéos sex fuisse constat. Sc.

- 1.) M. Petrus Storch, Theol. a. 1413.
- 2.) M. Joh. Schimmelpfennig, Theol.
a. 1441.
- 3.) M. Conradus Thym, a. 1445.
- 4.) D. Joh. Herold, a. 1479.
- 5.) D. Leonhard Polner, a. 1487.
- 6.) L. Joach. Fellerus, a. 1680. 1684. &c.
vid. Schmidii Chron. P. I. p. 477. & B. Felleri Cy-
gnos Quasimod.

Hæc si recte considero, quidni multis modis eundum
Diem, quem Academia Lipsiensis Festum celebrat, &
nobis ita dicam? Dies igitur ille esto Patriæ amatissi-
mæ memorabilis, quæ partem publici gaudii sibi at-
tribuit. Esto Tibi Reverende in Christo Pater Fe-
stus, qui partem gaudii una percipis, quoniam Na-
tus Optimus, qui optimas connubio literas sibi junxe-
rat, ex voto in publico & Magisteriali Honore Tibi
prodit. Esto Filio dies felici omne faustus, quem
unicum habes, ipsisque cordis visceribus chariorem.
Voti certe Te haec tenus in omni virtutum genere com-
potem reddidit. Commendat eum Pietas, ^{Bæsis} πάντων
^{ἀρεσκείαν}, cuique Bonorum de meliori, quia TE exem-
plucentem & in educatione nunquam negligen-
tem expertus est. Habuit & hausit, TE duce, illi-
us divinæ & raræ qualitatis stillantes guttulas, sine
qua studia sunt vana & infelicitate cedunt, licet optimè
excogitata & prudenter incepta sint. (z.) Com-
mendat eum doctrina varia, quia TE solum & uni-
cum puer ad Academicos usque annos moderatorem
habuit. Non varia Methodo, non multis ambagibus,
nec mala fide, sed una, compendiosa & paternâ via ad
altiora ei tendere datum fuit. Nocturnâ diurnaque ma-
nu Scriptores volvit sacros, eorum sciscitans placita,
qui in sacro codice explicando φιλολογίας operam na-
varunt. Ita enim, TE Præceptore, imbibit & veram
rationem sequi didicit. Judæi vitæ tempora ita dispe-
scunt: Homo semper triplicet annos suos, i.e. in
tres partes dividat, tertiamq; partem consecret Icriptu-
ræ. Israelitis injunctum fuisse ferunt, ut quilibet
manu describeret legis exemplar: Ipse Moses suis in
mandatis dedisse perhibetur, ut Pater, cum fari inci-
peret

(z) vid. Havemann Amusium Sect. I, c. XV, p. 164.

peret puer institutionis suæ in lege faceret initium. (aa.)
 Ipse maximoperè in eo studio hæres ac desudas; Of-
 ficia præstas chara iis, qui Tui sanguinis non sunt, quid
 in Nato poliendo non curam effecisse, dicamus? So-
 la soli ipsius utilitati litavit. Felici poplite & vincens
 Theologorum & Philosophorum castra est secutus:
 Nam prima primus & optima tironi fundamenta po-
 suisti. Honestos amat, probitatem colit & undique me-
 liorum partium Cultoris moderati speciem præ se fert.
 Vitiis infensus virtutem præfert. Nam in perpetuo
 contubernio & paterno sinu, pravo sodalitio eruptus,
 veræ virtutis semen & formam vel exemplo percepit.
 Vere huc illud Justi Lipsiū trahi posse reor: Cupidinem
 veræ virtutis & gloriæ in generat visa toties aliena glo-
 ria & virtus. (bb.) Hinc ex meritis Honorem habet
 comitem, quem & aliis de causis illi Lipsia contulit.
 DEO Duce & auspice salutis vitæque fontem TE suspicit.
 Hinc in ipsius laude ad TE, Rev. in Christo Pater, me ca-
 llatum direxisse quæso ne grave sit. Gratulari liceat fili-
 um, quem natura exquisitum riteque exultum &
 Optimis probatum relinquis. Faxit summus fortuna-
 rum stator & auctor, ut cotidie majori felicitate videas
 auctum, & quam in nuperis ex Schediasmate Ludoviciano
 adorabas, eandem Dei providentiam in eo habeas com-
 pertam! Gaudium & illud Nobis sit perpetuum, ut por-

ro

(aa) vid. *Hotting Thes. Phil. L. K. c. II. §. 3. p. 91.*(bb) vid. *Lipsi Cent. I. Ep. XII. p. m. 27.*


ro diuque Tuis consiliis p̄iis atque precibus , Deo com-
mendati , adjuvemur ! Mitius exponas , quæ passim
perscripta legis. Nam ita ab amore fecisse jubeor , & , sua-
dente Ovidio , (*) Pius est , Patriæ facta re-
ferre labor. Vale. Dab. Hohenlohae d. 4.

Decembr. A.O.R. M. DCCGIX.

(*) Trist, II.

X3047935

VOA



MC

	Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black	B.I.G.
Centimetres	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10
Inches	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10
	19	18	17	16	15	14	13	12	11	10
	8	7	6	5	4	3	2	1	1	1

Farbkarte #13

B.I.G.

M GRUNERUM, CYGNEUM,
EOL. LIPSIENSEM,

VIRO
RENDO ET AMPLISSIMO

ODOFREDO

IYM, Cygnéo,

PHILOLOGO CLARO, AD D. MAR.
A ECCLESIASTÆ OPTUME
MERITO,

PATRI IN CHRISTO ÆTATEM
EVENERANDO,

Cam

INICUM ET CLARE-DOCTUM

DUM OBADIAM THYM,

Cygnéum,

IEOL. CANDIDATUM

ARI ACAD. LIPS. FESTIVITATE

Dec. A. O. R. M. DCCIX. subortâ,

PHILOSOPHIÆ HONORIBUS
IUCTUM VIDERET,

ET INITIA ACAD. DELINEAT
GRATULATUS

AR TEUCHLER, Cygnéus
Hohenlohenium Pastor.

MARTISBURGI,

CHRISTIANI GOTTSHICKII.

